3. 1880. 1 3.

A son Excellence Monseigneur le Comte de Rasoumovsky
Feld Marechal des Armées de S.M.I de toutes les Russies, General Adiutant,
Lieutenant Colonel des Gardes d'Ismailow, Chambellan, Senateur, Grand General
d'Ucraine, President de l'Academie des Sciences de St. Petesbourg,
et Chevalier de plusieurs ordres. &c. &c.

Viro Nobilissimo, ac Celeberrimo. &c.

Antonius Matani S. P. D.

Iam quadriennium præterlapsum est, Vir Nobilissime, ac Celeberrime, ex quo sævissimo furente per Europam belli tumultu varios Libros a me conscriptos misi ad Imperialem Academiam Petropolitanam, ut observantiæ meæ erga doctissimos Viros ad eamdem dirigendam sapientissimè destinatos testimonium exhiberem luculentissimum. Sed in irritum doleo cecidisse spes meas, eo quod nullum responsum accepi, cum nescio quo casu an furentis belli, an marini æstus, cum Libris epistolæ, quas Viro præstantissimo Gerardo Friderico Millero suadente doctissimo Collega Paullo Frisio transmiseram, deperditæ sint. En itaque alia mihi est oblata occasio in reditu Domini Magni Russiæ Cancellarii ad Te mittendi Librum De Aneurysmaticis Præcordiorum morbis, et Librum De Philosophicis Pistoriensium studiis nuper editum, in quo alii innumeri sub pagina 30. Libri a me conscripti, quos occasione alia ad Petropolitanam Academiam mittendi animus est. Illud tamen vehementer exopto ut Tuo favore in celeberrimum eorum cœtum illi me licet immeritum cooptare velint, atque dignentur, ad quos una Tecum tale obtinere solet negocium: Spero equidem quod, cum votis meis Academia satisfecerit, omni conatu curabo ut Scientiarum augmenta per me quoque magis magisque promoveantur. Interim vale, Vir Nobilissime, ac Celeberrime, ad perennem Scientiarum, Optimarumque Artium felicitatem, meque Tui nominis, Tuæque Academiæ sincerum æstimatorem habeas excusatum; dum Te obsecro, obtestorque ut me ad Tua jussa paratissimum amore aliquo prosequaris.

Dabam Pisis in Etruria —

— III. Idus Martii MDCCLXIV.

+1779
Prof. - Pisa